

*Terra Australis**Situs.**Soli qualitas.**Mare Pacificum.**Mores.**Vestitus.*

Porro *Magellanus* dum in Australibus hisce partibus per semestre circuitur spatium hæsit, nihil fere præter littora detexit & perlustravit, interiora regionis penitus incognita mansere: qua tamen Antarctico Circulo vicinior est, constat magna ex parte montosam ac silvestrem esse regionem, continuis nivibus rigentem. *Australis* hanc *Terram Magellanus* ab igne sive ignibus, *del Fuego* nominavit, propterea quod dum hoc Fretum lustrabat pernavigabatque, nullos usquam mortales, sed frequentes, ut supra quoque diximus, longeque porrectos ignes in sinistro latere noctu sæpius conspexerit. *Australis* autem *Terra* sub ipso Occidente utramque *Iavam*, *Sumatram* & *Moluccas* respicit, ex Oriente *Africam* habet & *Æthiopicum Oceanum*, Septentrio angustis *Magellani* Freti objicitur & *Patagonum* terris. Vtriusque ripæ regio sterilis est nullo Frugum beneficio recreata, satis tamen pascua proceris ignotisque arboribus consita esse perhibetur. Est hic alibi omni tempore *Pinguinorum*, *Mergorum* ac *Phocarum* copiosa multitudo. Mare autem in quod per Fretum hoc pervenitur, *Magellanus Pacificum* nominavit: sive quia vento plerumque secundo, minusque tempestuoso usus fuerat, sive quia propter ingentem vasti æquoris amplitudinem nullos ibi ventorum gyros vorticesque expertus erat, nunc vulgus *Nautarum* *Mare Meridionale* sive *del Zur* nominat. Sed de his satis. *Austerales* brevioris stature esse perhibentur, Septentrionales *Chicæ Incolæ*, vastæ ingentique corporis mole, *xii* aut *xiii* pedum passim longitudinem æquant aut excedunt: colore fere sunt albo, perinde atque Septentrionaliores nostri: voce adeo sonora & horribili, ut *Bovis* mugitus aut *Elephantorum* barritum potius, quam *Hominis* vocem exprimere videantur. Tantæ quoque sunt agilitatis, ut pernici cursu *Cervos* antevertant, ideoque difficulter sclopiis vulnerantur, nisi catenatim simul incumbant, aut ex improviso occurrant. Ad bellum profecturi, *Ducem* eligunt cui omnes obediant, plurimum arcu valent, quo ita scite & graviter utuntur, ut quidquid oculis adsequantur, jaculis feriant, & si quando sagitta aliquo navis tabulato hæserit, vix multorum opera revelli possit. Arcus habent prægrandes, quorum nervi è ferinis intestinis, pollicis crassitudine conficiuntur: ingentibus quoque ligneis gladiis armantur: utuntur & funda, quæ scite jaciunt & quo destinarunt, modo jactus meta concludatur, contingunt & disjiciunt. Vestitum Incolis præbent *Ferarum* & *marinorum* ingentia *Luporum* tergora, quorum apud ipsos venatio assidua.

Atque hæc de *Freto Magellanico*, deque quarta Orbis parte *America*, sufficient. Cujus inventionem omnes nostri sæculi Scriptores *Christophoro Columbo*, neque immerito, tribuunt. Hic enim primus eam detexit quodammodo, *Christiano*que Orbi cognitam reddidit, usque & utilitate communicavit, anno post *Christum* natum *ccccxcii*. Qui autem plura de his, vel nostra pluribus explicata, petat, consulat *Lævinum Apollonitum*, *Petrum Martyrem Mediolanensem*: *Maximilianum Transilvanum*, qui *Latina Lingua* de iis scripserunt: *Jesuitarum* epistolas: Item *Masseium* de rebus *Indicis*, & alios.